

Adpendix hypothetica

DE

SPIRITIBVS

Seu

Pneumatica hypothetica.

§. 1106.

Vt Lectorum atque Auditorum curiositati satisfaciamus, *historiam praecipuarum hypotheseum philosophicarum de spiritibus, ex quibus phaenomena, quae tradit experientia, explicare voluerunt, subiungere systemati nostro metaphysico constituimus.* Sunt quidem hypotheses aliquae iamdum allatae in Psychologia rationali, quas omnes in hanc reiecissem adpendicem, nisi ab initio eam ingressus essem tractandi rationem, ut cel. WOLFII scripta metaphysica latina contrahenda censuissem eiusque ordinem adeo sequendum. Quae igitur a cel. WOLFIO intactae hucusque relictae sunt hypotheses, earum potiores hic enarrabimus historice: *de illarum autem plerarumque veritate non sumus solliciti, pro no-*

Cur hypotheses quaedam pneumaticae et quomodo hic enarrentur.

Hhh 3

stro